



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

22. Lotharius Francorum Rex, petente Emma coniuge sua, Mareolensi monasterio, prope Atrebatum sito, an. 977. restituit praedia, eidem à Fulberto Episcopo Cameracensi & alijs attributa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

AINES) vicus est prope Bassam, Artesiæ opidum, quem hodieque Marchianenses possident.

DOACENSE castellum) hodie Duacum, *Donay*, Flandriæ opidum, ad fl. Scarpum, Academia per Philippum II. Regem Catholicum an. 1562. nobilitatum: quod fuse describit Buzelinus in sua Gallo-Flandria.

## C A P V T X X I I.

*Lotharius Francorum Rex, petente Emma coniuge sua, Mareolensi monasterio, prope Atrebatum sito, an. 977. restituit pradia, eidem à Fulberto Episcopo Cameracensi & alijs attributa.*

**I**N nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Diuina præordinante gratia Rex **LOTHARIUS**.

Si in diuinis cultibus Ecclesiam Dei ad summum sanctæ religionis statum sustollere conamur, ab ipso omnium bonorum remuneratore confidimus nobis fore compensandum.

Igitur notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus & futuris, quoniam nostræ dignitatis præsentiam dilecta coniux nostra **EMMA** adiens, nobis retulit dolendo, quoddam cœnobium, à venerabili Fulberto præfule, sub regulari Canonorum norma, nobiliter secus Atrebatum, super Satis fluenta, olim constructum fuisse, quod situm est in villa, quæ dicitur **MAREOLVM**, nunc verò penitus destructum per violentiam sæcularium, & nimiam cupiditatem Theudonis Episcopi, remotis inde omnibus, quæ prædictus Fulbertus eiusque successores tradiderunt cœnobio S. Amandi & S. Bertiliæ, ad opus fratrum, ob remedium animarum suarum, nostrorumque antecessorum.

Quocirca prælibata coniux nostram reuerenter expetijt munificentiam, vt concessas res, præcepti nostri munimine, iam dicto monasterio corroborare dignaremur.

Nos verò interuentu dilectæ coniugis nostræ **Emma**, fidelisque **Dridonis**, ob spem diuinæ remunerationis, pro statu & incolumitate regni nostri, piæ petitioni assensum præbuimus, & iam dictas res Canonicis prælibati monasterij reddi præcipimus:

Scilicet manium in Dominicatu, quod Fulbertus Episcopus

dedit eis in villa Marcolo, vsque ad fluuium Satis: in ipsa villa molendinum vnum, situm coram manso Ecclesiastico, & decimas quatuor molendinorum, quas Præsul Engramnus eis contulit.

Simili modo mansa duo in iam prædicta villa, & sedes duas in terra arabili, & bonaria xxiv. ad opus fratrum ipsius loci, medietatem etiam *Camina* datam ab Andremaro Preposito ipsius loci: vt habeant firmiter, & perpetuo, nemine inquietante, possideant; ea scilicet ratione, vt cunctis diebus vitæ eorum, pro nobis & totius regni statu militare iugiter satagant.

Et vt hæc nostræ corroboracionis concessio plenissimum obtineant stabilitatis vigorem, manu propria subter firmavimus, & annuli nostri impressione assignari iussimus. Datum Lauduni clauati anno 977.

### NOTATIO.

MAREOLVM) est Canonicoꝝ regularium Abbatia, apud Atrebatens sita: in qua adseruantur ossa S. Bertiliz virginis, iussu Gerardi II. Cameracensis & Atrebatensis Episcopi, e terra an. 1081. eleuata. Fastos nostros Belgicos 3. Ianuarij lege.

### CAPVT XXIII.

*Godefridus Comes Virdunensis & Eihamensis, eiusque uxor Machzildis an. 979. Holinium, Lesdenium, aliaque prædia donant Blandiniensi S. Petri monasterio, iuxta Gandauum sito.*

**C**VM plurima salutis remedia constet, larga Deificę pietatis miseratione, prouisa omnibus sanctę matris Ecclesię filijs, in hac conualle plorationis, spem supernę beatitudinis suspirantibus, id felix & omni laudis præconio dignum inter diuina probatur negotia commercium, per quod valet quisque fidelium perituris temporalium rerum facultatibus æternas celestis regni conquirere diuitias.

Auctor siquidem celi & terrę Iesus Christus, ad huius sanctę negotiatio-